Referandarius. Satis vides, Domine Comes, quàm attentas aures ipsi præbeamus; nec profectò nobis mens est tam feliciter incæpta Colloquia dirimere.

Sacellanus. Utiquè, si haud placerent, multiplices prætextus ad ea abrumpenda nobis abundè suppeterent. Verum patienter feras: ita est enim humanum ingenium, ut diù luctandum sit antequam de opinione decedamus, & præconceptos errores deponamus.

Comes. Id, opinor, ocissimè fiet. Valete.

COLLOQUIUM SEPTIMUM

COMES. DOCTOR.

COMES. Aut fallor, aut nostri Antagonistæ, & Lector ille præsertim, tuis è manibus cuperent evasisse.

Doctor. Ut quid ita, Domine?

Comes. Quia nihil habent replicandum.

Doctor. Quin potiùs credas, Illustrissime Comes, ipsis volupe esse instrui & veritatem agnoscere? Est certè quòd eorum vices doleamus: nempè in hoc Rheni tractu, ubi omnia principia sunt subversa, nihil hactenùs audiverant, nihil legerant, nisi quæ orthodoxis principiis & Ecclesiæ Romanæ Juribus rectà adversantur. A Summorum Pontificum conviciatoribus dolosè præoccupantur, illisque priùs assentiuntur, quàm sufficienter noverint quis sit rerum status. Itaque necesse est omnibus eorum objectionibus satis-

facere adamussim, ut nullum hâc super materiâ ipsis supersit dubium, atque manifestum fiat quantùm à vero aberraverint. Quamobrem, si planè non fuerint convicti, insitas menti opiniones nunquam exuent.

Comes. Equidem omnia tam dilucidè resolvis, ut certò certiùs veritatem sint amplexuri. Cum recordor Sacellani continuò dogmatisantis furorem, non possum quin exclamem, *quantùm mutatus ab illo!* Cæterùm illis nequaquam subolet quis sis; nec mihi est pœnitendi locus, quòd ad hoc iter suscipiendum te induxerim.

Doctor. Etiamsi sterile foret ab eorum pertinaciâ, nihilominùs erit semper meritorium a fine & rectâ intentione, quæ te impulerunt, Domine Comes, ut eis lumen suppeditares.

Comes. Interim occurrit aliquid tibi proponendum novi. Quidam Ordinis Teutonici Eques, Commendator & legionis Præfectus seu, ut aiunt Colonellus, duobus milliaribus hinc commoratur. Mihi litteris significavit se ob valetudinem adversam non posse huc venire. Id, ut vides, invitationi expressæ æquivalet; te, si ita placet, habebo Comitem cum Domino Referendario, qui hominem apprimè novit.

Doctor. Ad nutum tuum me fingo.

Comes. Haud dubiè de nostris colloquiis aliquid inaudierit. Illi libenter est sermo de Germanicis Concordatis, imò de Nunciaturis, de Conventiculo Emsiano, & aliis nunc in his-ce regionibus agitatis. Vellet, ut ait, Romanæ curiæ jugum excutere. Cæ-